



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707


VD18 12383155

cap. 3. Via media, quam Sancti existimârunt inveniri posse, dum qui orat,
nunc Contemplatur, nunc Meditatur, prout Deus hoc aut illud dederit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

psum quidem unquam ausum obtutum rectè defigere in so-
 letu divinum, sed tantum in radios ejus repercussos. *Nun-* De div.
quam nos tam magnum solem adversum intueri conati sumus. Nom. c. 3.

Hæc est prima responsio data ad textum tam infi-
 gnem. Dato dein etiam, quod S. Dionysius contempla-
 tionis Mysticæ nomine intelligat quamcumque, pro cu-
 jusvis arbitrio, attendatur tanisper, quàm ille circumspice-
 tæ eâ in re procedat. Hortatur ille ad hanc, non nego;
 sed quem? hortatur Timotheum jam exercitatum in eo
 orandi genere, & valdè expertum: *Tu autem pro maxima*
Mysticorum spectaculorum exercitatione, quâ vales. Non
 hortatur quemquam, qui non pertigisset, ad exercitatio-
 nem, quam dicit maximam: qui nimirum est error nescio
 usitatorne, an major, qui in re nostra damnetur. Atque
 ita ex sententia & effato tam nobili colligi non potest, quod
 ad infusam Contemplationem quisquam impelli possit, sed
 solum, quod is qui jam à DEO ad eam admissus est, exci-
 tari possit, animari, & adjuvari. Aliter qui agit ad
 alterum extremum deviat, quod hoc ca-
 pite damnatur.



Caput III.

Via media, quam Sancti existimârunt inveniri posse,
dum qui orat nunc contemplatur, nunc meditatur, pro
ut hoc aut illud DEUS dederit.

I.

Sicut aquæ bonæ illæ sunt, quæ currunt meliùs, sic &
 sententiæ. Statim apparet, quàm sit proficuum &
 utile,

B 3

utile, ut currant sine obiectione. Ad hoc autem quid requiritur? requiritur, ut non aliter quam aquæ, inter montes oppositos medium iter teneant. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Unde qui nostro in negotio rectè procedere vult, mediam inter extrema jam enarrata viam inveniatur oportet. Et hæc est illa, quam Sancti nobis indigent; conjungere in oratione Laborem Quietem pro ratione temporum. Si DEUS quietem dat, donando Contemplationem, illam frui & se oblectare: Si non dat, laborare Meditando ad illam consequendam.

Et quoniam aquarum exemplo uti cœpimus, ego ad viam ejusmodi explicandam nescio quid facere melius possim, quam ut utar illa similitudine tam illustri, quam S. Teresa in re præsentis usa est: aquæ scilicet pluvie, aut ex puteo, etsi non æquali semper labore, hauritæ. Ut enim stultum est, cum pluit, aquam ex puteo haurire velle ad plantas horti mei irrigandas: sic antequam cadat pluvia, aut cum pluere desierit, quid mali est, si pariter modo ad puteum recurram ad illud obtinendum, quod cælum mihi negat? Ecquid hac similitudine innuere volo?

Sunt hodie nonnulli, non dico omnes, ex mysticis his animarum Directoribus in via Orationis, qui contendunt, perfectum Contemplativum tam procul debere esse ab exercitatione & usu trium facultatum interiorum, ut paratus esse debeat ad tolerandam potius omnem ariditatem & siccitatem, quam ut earum operâ utatur, sicut illam utuntur Meditantes: earum enim operâ uti velle, si Magistris his credimus, aliud non est, quam adhærere velle rei sensili, ad fugiendum omne quod molestum est.

Hoc autem mihi tam absurdum videtur, ut tenui meo judicio errorem reputem. Videtur enim mihi aliud non esse,

esse, quàm prætextu abstractissimæ perfectionis tollere proximam & propriissimam nostram cooperationem, quæ à nobis in omni opere divino requiritur. Unde audito isto loquendi modo ita me sensu moveri, perinde ac si jam jam virentibus sub herbis latitantem serpentem retexissem.

Non oportet, cùm DEUS cordi se nostro non infundit, confugere ad facultatum interiorum exercitationem ut humanæ nostræ propensione satisfaciamus, cui ejusmodi siccitas molesta est: demus hoc: oportet tamen ad illam confugere eo tantum fine, ne omittamus oportunè aquam haurire ex puteo, quando pluvia terram non humectat, id quod solertibus hortulanis solemne est.

Si neque pluit, neque quocunque nostro conatu aquæ quidquam extrahimus, tum enimvero toleranda est fortiter quæcunque ariditas, quæcunque siccitas, neque idcirco ab Oratione est desistendum, perinde ac si oleum tum & operam perderemus: quod enim tolerando faciemus lucrum, tantum erit, ut DEUS occultis modis tum terram cordis nostri plus sit fecundaturus, quàm ullius aquæ beneficio, quæ cælo ad nostrum arbitrium delaberetur.

Ceterum quomodo damnari potest, si cessante beata illa mentis suspensione, quæ communi cunctorum confessione brevi durat tempore, suis ordinariis actibus homo suppleat beatos illos influxus & impressiones, quas tum DEUS retrahit? quam enim orando experimur sterilitatem, ferre quidem debemus coacti, non tamen eam eligere; tanquam veræ Devotioni penitus adversantem.

Si causam quærimus præcipuam Devotionis, quam experimur, eam docet S. Thomas esse DEUM, qui ex indevotis devotos potest reddere, modo ipse velit, mutando rupes in rivos.


Hæc tamen, ut idem Doctor adjungit,
causa

causa est extrinseca: *Causa Devotionis extrinseca DEUS est.*
 Intrinseca, etsi minùs præcipua, illa est quæ nostra ex par-
 te se tenet: & hæc est Meditatio, seu Contemplatio. *Cau-*
 2.2. q. 82. *sa autem Devotionis intrinseca ex parte nostra oportet ut sit*
 a. 3. *Meditatio, seu Contemplatio: cum non possit voluntas prom-*
ptam paratamque se divino offerre obsequio (in quo De-
votio consistit) nisi illam Intellectus corroboret opportu-
nis considerationibus, quæ, si Sanctus hic non erravit, ex
parte DEI sunt Miserationes illius ac Merita, quæ faciunt
ut illimet adhæreamus; nostra verò ex parte sunt nostræ
malitiæ, nostræ miseriæ, quæ faciunt ut intus in animo
nos abjiciamus. Quare cum homo inter Orandum non
potest his uti considerationibus Contemplando, quia non
pluit: nec uti illis vult meditando, quia non dignatur hau-
rire aquam ex puteo operâ suorum brachiorum, quid tum
ad Devotionem excitandam superest? id scilicet unum,
ut DEUS tanquam causa extrinseca operetur solus, & ru-
pium sinum pandat. Hoc autem velle idem est, quod aliis
vocibus appellamus, Tentare DEUM.

Et tamen hoc quilibet tanto studio cavere debet, ut
 Cajetanus, singulari pietate allatum locum explicans, in-
 de collegerit necessitatem, quâ quisque obligatur ad tri-
 buendum quotidie piis his considerationibus certum tem-
 poris spatium; nec dubitavit pronuntiare, indignum esse
 nomine Religiosi, aut Religiosæ, quin & hominis spiritua-
 lis, quisquis id facere prætermittat. Verba eius sunt, *Re-*
ligiosi aut Religiosæ, seu Spiritualis etiam nomine vocari non
potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. Et
 ratio est, quia nisi id fiat, exigit homo, ut solus cum Deo
 in animo Devotionem aut excitet, aut excitatam conser-
 vet. Hoc tamen male fit. Necessè est causæ extrinsecæ
 junge-

jungere etiam intrinsecam : unde non dicit Angelicus *Causa autem Devotionis intrinseca est Meditatio, seu Contemplatio*: sed, oportet ut sit: quia est necessaria. Verum quidem est, quod non dicat, *Meditatio & Contemplatio*, sed *Meditatio, seu Contemplatio*: disjunctivè neque enim omnes apti sunt ad contemplandum, maximè quotidie. Sed qui ad contemplandum aptus non est, saltem meditetur; neque contentus sit hærere in Oratione instar Olitoris obstinati, qui malit videre plantas exarescere, quàm brachiorum operâ aquam ad eas irrigandas ex puteo haurire. Prò! quàm omni in negotio tuta est via media! *Prudentia dat vocem suam, si Sapienti fides, in mediis seminis stans.*

Prov. 8.
v. 2.



Caput IV.

Respondetur objectioni, quã nonnulli hodierni tentãrunt claudere viam mediam, docendo, quòd, quisquis aliquando vocatus à DEO est ad contemplandam, nulla deinceps ratione ad meditandum redire debeat.

I.

Non defuerunt, qui rationis & argumenti allati vim caperent: eam tamen ut eluderent potius, quàm superarent, responderunt: verum Contemplativum debere potius omnem in oratione ferre ariditatem, quàm ut quoquo modo meditetur, ne de statu deficiat ad statum. Id quod verat S. Paulus: *Unusquisque, in qua vocatione vo-*

1. Cor. 1.

C

catius v. 10.